FRANCISCI MARIANI
BIBLIOTHECÆ VAT. SCRIP. GRÆCI
PRO JO: ANNIO VITERBIENSI
SACRI PALATII MAGISTRO
ORATIO.



SI quis in hoc Senatu totius litterariæ Reipub., in qua doctissimus quisque etiam morte obita diutissime vivit, ante sapientissimos Judices tot, tantosque Viros in accusatorum subselliis viderit, quot alias nusquam aut legimus, aut audivimus; multum profecto mirabitur, me unum potissimum in caussa, ut multi putant deserta, ac relicta, sine ullis præsidiis ingenii, eloquentiæ, auctoritatis surrexisse ad dicendum. Nemo enim unus est, qui ignoret, quot accusationibus, quot censuris, quot etiam testimoniis Annius constrictus teneatur: adeo ut, si Cicero ipse Oratorum Princeps hujus patrocinium susciperet, si omnes ingenii, atque artis nervos intenderet; tamen minime dubium sit, qui sicut in caussa Milonis, qui ab Annia gente nostræ Etruriæ fuit adoptatus, armatorum hominum strepitu territus pæne animo concidit; sic in hoc Annii judicio tot accusatorum literis, atque linguis debilitatus, ac fractus caussa esset casurus. Ego tamen, Judices, quum video tot amplissimos Viros contra hunc reum conspirantes, quod aliis metum, ac linguæ torporem incuteret, nescio quomodo mirifice recreor. Quod quo pacto eveniat, etsi difficile dictu videatur, tamen aperte, ac breviter explicabo. Scio per universam Europam & Ludovicum Vives, & Melchiorem Canum, & Philippum Cluverium, & Vincentium Borghinium, & Thomam Dempsterum, & Gerardum Vossium, aliosque Anniana Commenta exagitasse: scio Anonymum Mediolanensem, Augustinum Calmettum, Albertum Fabricium, & Genevenses Criticos contra Viterbienses antiquitates quædam scripsisse: Scio alios magnis propositis præmiis, alios malis artibus, & fictis epistulis ad meos libros, quos Annii fragmentis inniti putant, confutandos solicitari: at mihi hoc ingen-

tes propemodum animos facit. Ergo tot post annos, post tot Adversarios eloquentissimos adhuc quæritur, allicitur, irritatur qui contra nos arma capiat? Vigent igitur Viterbiensium rationes, nostræque antiquitates neque senio, neque ulla iniuria, neque Criticorum judiciis debilitatæ sunt. Quorsum enim novum veluti bellum indici, & classicum cani oportuit, si nostra monimenta fracta, ut quidam jactabant, ac contrita fuissent? Quum Curtius Inghiramius libros illos Volaterranæ antiquitatis vulgasset, Leonis Allatii brevissimo scripto confutati, statim ex manibus omnium exciderunt. Omitto alia simillima. At nostra fragmenta longe alia fortuna usa sunt, ut videbimus: adhuc in utramque partem disputatur, innumerique spretis Aristarchorum importunis clamoribus Annii scripta sequuntur. Quare vos Judices, vos universæ literariæ Reip. Præsides oro, ut me dicentem attente audiatis. Vetus hæc contra Annium criminatio est, ac multum, & sæpe quæsita; verum nunquam publico judicio agitata: tractata est potius apud arbitros veluti in umbra, atque otio, quam in hac luce, ac severitate Senatus: defensa est ab exteris hominibus, non à Viterbiensibus: unde ego juste, pieque defensor venio, ne quis silentium nostrum in conscientiam vertat. Non ego mei ingenii tenuitatem excuso, non adversariorum auctoritatem minuo: me neque doctrina, neque eloquentia, neque ulla alia in re parem prædico: ast ad hanc caussam defendendam (quanquam multo difficilius sit defendere, quam accusare) tam instructus, animo sic erectus, adeo vestra sapientia, & æquitate securus accedo, ut potius cogitem quonam pacto adversariorum nomini, atque existimationi consulam, quam quomodo pro Annio dicere debeam. Ajo igitur ab illo nihil suppositum, nihil dolo malo confictum: Ajo tantum abesse ut finxerit, ut multa non intellexerit: Ajo multo plura quotidie reperiri certa, atque inconcussa, quæ ipse, ac reliqui Viterbienses penitus ignorarunt: unde intelligere quivis poterit Annium talia ferme, qualia ei sors obtulit, edidisse.

Annius, qui propter Joannis nomen proprium Italorum more Nannius quoque dictus est, anno quadringentesimo trigesimo secundo supra millesimum nobili genere natus est Viterbi Patrimonii S. Petri Metropoli. Is sacro Prædicatorum Ordini nomen dedit, assiduaque studia summa cum pietate conjungens non modo singularem doctrinam, atque eruditionem, sed tantam apud Summos

Ponti-

Pontifices, Cardinales, aliosque Viros existimationem est assecutus, ut Sacri Palatii Magister ab Alexandro VI. renunciaretur. Dum Genuæ morabatur fragmenta Catonis, aliorumque nactus est à Guilelmo Mantuano multo ante decerpta, postea Berosi excerpta quædam dono sibi data a Georgio socio Provincialis PP. Dominicanorum Armeniæ, quæ omnia ipse adjectis commentariis vulgavit: Interea multa signa Etrusca, atque inscriptiones repertæ sunt in agro nostro Cybellario prope Tuscanellum, quod semper cum nostra Urbe de antiquitate certavit. Sic ipse in suis libris editis testatus est, dum illi quoque, qui harum rerum testes erant, vivebant. Nemo tamen unus, quanquam tantam novitatem omnes admirabantur, nemo, inquam, de iis dubitavit, nemo scribere aliquid contra ausus est, quamvis ipse & oraret, & obtestaretur, ne suum interitum expectarent. Publicas præterea hisce de rebus disputationes haberi voluit in Palatio Senatus, Populique Viterbiensis, quum nostra Urbs doctissimorum Civium, & exterorum copia floreret, propter Alexandrum VI., & Carolum Francorum Regem, & paullo ante Pium II., & Fridericum Imperatorem, qui apud nos aliquandiu morati fuerant. Aderant tunc Juvenes studiosissimi Fatius Sanctorius, & Ægydius Augustinianæ Familiæ decus, quorum uterque ad sacram Purpuram singularis doctrinæ commendatione evectus est. Aderat Thomas Veltrius græce, & latine doctissimus, qui cum Annio disputavit, & postea Cathedram Castrensem obtinuit, quique teste eodem Ægydio Thucydidem elegantissime vertit. Aderat Alexander Farnesius, qui ex Archipresbytero Ecclesiæ Viterbiensis S. Sixti Cardinalis, nostræ Urbis, & totius Patrimonii Legatus, & demum Paulus III. fuit appellatus. Florebant tunc apud nos tum Jo: Benedictus Annius, tum Jo: Baptista Almadianus Romanæ Curiæ Proceres, quorum Carmina pæne Virgiliana in Corcyrianis leguntur: Præterea Augustinus ex eadem Almadianorum familia, Cerasius Medicus, & Poeta, Spiritus Protonotarius Apost., & Lælius Orator eximius, quorum laudes legi possunt in Epigrammatis Cantalycii, qui apud nos humaniores literas docuit, & Commentarium in Persium edidit. Florebat etiam Cæsar Malvicinus, qui obitum Platinæ versibus exornavit, cujus fuisse puto notas illas, quas Casaubonus in Svetonium suis admiscuit, Cornelius Benignus, & Joannes Gattus homines nobilissimi, atque eruditissimi, quorum meminit Pierius

 Vale-

Valerianus. Omitto Joannem Botontum postea Cameræ Apostolicæ Clericum, cujus litteras habemus inter Ægydii autographa: nihil dicam de aliis nostratibus, nihil de exteris, inter quos enumerare possem Lælium de Manfredis, cujus meditationes quædam apud Sandreanum Urbinatem extant in rem nostram MSS., & Franciscum de Albertinis, ut videmus in libro, quem scripsit de Romæ Antiquitatibus. Tot igitur, tantosque viros Annius fascinavit, decepit, in fraudem induxit? Alexandrum ipsum Pontificem, certe minime simplicem cum tota Curia suis artibus irretivit, suis præstigiis illusit? Ex his omnibus nemo unus eum fraudis, dolive insimulavit, nemo non modo infamia, sed ne suspicione quidem aspersit, aut de iis antiquitatibus dubitavit. Videbant ingentes statuas, multas inscriptiones, atque alia signa effossa, quæ omnia clam ab Annio facta, idque prope Tuscanellum, ad Summum Pontificem præsentem, totumque Orbem decipiendum insano solum in mentem venire potuisset. Fateor post Annii mortem ea ab iis, qui hæc non viderant, in dubium vocari cœpta esse. Dubitavit Volaterranus, dubitavit Sabellicus, dubitavit unus, & alter: Sed horum dubitatio infra suspicionem stetit: immo Volaterranus Desiderii Decretum, ut antiquissimum compluries laudat, & sequitur, quod & fecerat Politianus in Epistula ad Petrum Medicem, antequam Annius suos libros divulgaret. Animosiores aliquanto Crinitus, & Vives, pleraque omnia illam confinxisse scripserunt, sed nullum signum, nullam afferunt conjecturam. Flagito igitur testes. Latinum Latinium Viterbiensem proferunt, qui Osiridis lapidem supposuisse ait. Oro vos, Judices, ut testimonium, quo Accusatores ne voto quidem fingere gravius poterant, diligenter attendatis, ex hoc enim totam caussam pendere merito dixerim. Ajo igitur primum Latinium in hoc judicio testem esse non posse: is tunc longe gentium aberat, & gravissimo sopore oppressus ad nostra litora nondum pervenerat. Adeo ne igitur parum tanti auctoritatem Senatus verentur adversarii, ut absentem, & dormientem testem adhibeant? Sed omittamus verborum ambages. Latinius testis esse non potest, quia his rebus non modo non interfuit, sed aliquot annis post Annii mortem natus est. An is vidit, quum vivere nondum incepisset, quæ tot homines præsentes oculatissimi penitus ignorarunt? Deinde quoniam Accusatores in hoc testimonio nituntur maxime, fereque omnes, qui contra nostras antiqui-

tiquitates scribunt Cluverius, Bayle, Vossius, Fabricius, aliique illius verba referunt, repetuntque *invento ut populus clamabat Osiri*, placet illud audire ex Antonio Augustino, nam Latinius hac de re nihil scriptum reliquit. TESTIMONIUM AUGUSTINI. Quæri heic posset, & deberet unde hæc hauserit, à quo didicerit Latinius, & quare de aliis inscriptionibus, signis, ac libris nihil dixerit, nihil reprehenderit. Sex tabulas refert Annius: in sexta dumtaxat de Osiride, & Conjuge disserit, quam ideo vocat Osirianam. Sed sat erit si solum testimonium hoc expendamus: *Mihi Latinus Latinius Viterbiensis Vir doctus, bonæque fidei de Jo: Annio Viterbiensi Monacho jucunde narrare solebat insculpendas lapidi curasse litteras, quem vineæ infodi jusserat non procul à Viterbio*. Male auspicatur Latinius, & in ipso limine offendit. Lapidem hunc, Judices, in omnium conspectu ab antiquo, quod optime notat etiam Thomas Mazza, non dicam nostræ historiæ, sed ipsius Annii Commentaria extitisse testantur: *Majores nostri*, scribit, *posuerunt in templo Herculis nunc D. Laurentii*, *ut semper ante oculos nostros æterna vetustatis hujus Urbis memoria teneretur*. An is adeo bardus erat, & stultus, quem tamen ipsi accusatores & doctum, & callidum fuisse clamitant, ut illum se primum reperisse fingeret, quem ipse ante oculos omnium majorum semper in Templo D. Laurentii extitisse disertis verbis asseruit? Sed perge porro. *Terra effossa antiquitatem, & literas à se confictas admiratur*. Quam vereor ne cæcitas suæ senectutis, quam in Epistulis, & Carminibus Latinius deplorat, ab infantia inceperit! In eo, Judices, ne una quidem litera est. Arbor est cum ramis undique sparsis, quam vitis circumplectitur: Sunt quædam volucres, quas accipitres dicit Pierius Valerianus: in imo trunco videtur esse crocodilus, quem Annius non observavit: supra hinc atque inde duo capita Osiridis, atque Isidis. Annius hæc solum interpretatus est: recte, secusne alii viderint. Audiamus reliqua. *Contineri Viterbi Urbis originem ab Iside, atque Osiride conditæ*. I nunc Augustine, & bonæ fidei Latinium appella: Enimvero optima, atque egregia fides est, quæ credit, & non videt. Hæc nunquam scripsit, nunquam somniavit Annius, nec in mentem ei venire poterant, qui Fanum Volturnæ cum Vetulonia Osiri antiquius intra mœnia esse sciret, scriberet, atque argumentis etiam probaret. Extant illius libri, in manibus omnium est illius lapidis, alio-

rum-

rumque explicatio. Annii commentaria & Parisiis, & Antuerpiæ, & Basileæ, & Venetiis, & Romæ edita sunt. Quam vellem verba hæc ex ore Latinii nunquam excidissent! Nam quum Annium ab omni mendacii suspicione libero, alterum Viterbiensem, quem multis nominibus & colo, & veneror, stultitiæ summæ, ne quid gravius dicam, invitus accusare cogor. Verum quoties hæc ego mecum tacita consideratione perpendo, vix possum adduci, ut credam hæc Latinium cogitasse, ne dum dixisse cum propter L. Spurinnæ votum HERCULI DEO, quod ipse ex antiquo lapide descripsit prope illius Fanum repertum, tum propter Desiderii Decretum, quod nullo obelo, nullaque censura notavit a. d. IX. Kal. Augusti, quum minima quæque lynceis oculis, ut ait *Baronius*, in notis ad Martyrologium correxerit, atque expunxerit. Heic criticum agere, heic lynceos illos oculos adhibere, heic suis amicis imposturas ostendere debebat, si fidem Annio detrahere volebat: quando lapidem hunc celeberrimum, testimonium hoc tantæ antiquitatis, characteribus indubitabilibus expressum, cui aliæ Urbes Italiæ simile non habent, ut nostris Civibus affirmavit Sigonius, non notat, non rejicit, non confutat Latinius, quis credat Osiridis Hieroglyphicum, obscurasque notas ægyptias ei negotium facessere potuisse? Jure igitur possum negare hæc Latinium dixisse: non quod illius testimonium aliquid ponderis habeat, sed ne excusatione summæ stultitiæ ab eo summum improbitatis odium cogar deprecari. Fieri non potest, ut vir doctus, bonæque fidei, ut vocat Augustinus, ea testificatus sit, quæ non vidit, ea asseruerit, qua sibi contradicunt, quæque manifestissime falsa deprehenduntur. Hoc tamen est, in quo exultant adversarii, in quo totius accusationis robur, & firmamentum inesse existimant: hæc est arx illa, in qua tot tela contra Viterbienses vel conflarunt hostes, vel exacuerunt: hæc illa nubes teterrima, ex qua tot bruta fulmina contra nos emissa sunt: Atque hinc intelligi potest, utrum Viterbienses, an adversarii impostores sint, fabulisve delectentur. Reliquæ accusationes, Judices, in duas classes dispertiuntur. Alii ex Latini, seu potius Augustini fabella ad alia gradum facientes libros quoque, atque alias antiquas tabulas ex integro confinxisse Annium clamant: alii contra Catonis fragmenta cum reliquis vera esse, sed ab illo fuisse corrupta, ac vitiata. Jam si qui me arrogantem, atque audacem censent, quod contra tot doctis-

ctiſſimos homines hanc cauſſam publice defendendam ſuſceperim; mitiorem mentem, opinor, induent: quod enim patrocinium facilius, ac commodius excogitari poteſt, quam illud, in quo ipſi accuſatores, vel prævaricatoris partes agunt, vel defendendi copiam, materiamque ſuppeditant? Omnia flagitioſiſſime finxit, & ſuppoſuit Annius, cum Cano, Cluverio, Fabricio, aliiſque primi accuſatores exclamant: Minime gentium, reſpondent alii cum Reineſio, & Micrælio: ſunt multa veriſſima, & antiquitatis non contemnendæ de Catonis excerptis, ait Panvinius: *Quod enim prodigium fuerit*, addit Gaſpar Barthius, *Monachum illum minime tam profunde doctum talia comminiſci potuiſſe*? Deſideriani Decreti characteres ſunt vere langobardici, ſubdit Holſtenius contra Cluverium, & trecentis annis ante Annium viſum, & deſcriptum reperitur: ſubſcribuntque Holſtenio Raphael Fabrettus, Gruteri nova Editio, & Scholia in Dempſterum. Nihil dicam de Simlero, Sylvio Ambianenſi, ac reliquis. Alii igitur noſtras Antiquitates omnino reiiciunt, alii ut genuina defendunt, ſed quædam interpolata ſolum credunt. Notum eſt quid de ijs ſentiat Hankius, atque Auſonius Popma: quid Fridericus Sylburgius, Leander Albertus, Guilelmus Poſtellus, Conradus Geſnerus, Sixtus Senenſis, Franciſcus Sanſovinus, Ægydius Cardinalis, Harduinus, & de la Cerda, qui Annii fragmenta probant, & defendunt. Dionyſii Gothofredi tam grave, & exploratum teſtimonium pro ijs extat, ut multi eum deſipuiſſe credant: Unus Sigonius, qui non modo ſicut Manutius, Fleetvood, & Calvini Lexicon, aliique, Deſiderii Decretum integrum refert, & ſequitur, ſed præterea ait, *ſe tantam tribuere auctoritatem Catonis Epitomis, quantam incorruptis veteribus monumentis*, teſtis eſſe poſſet locupletiſſimus. Sed hæc non urgeo. Satis eſt mihi, Judices, ſi inter ſe variantes, atque etiam diſſidentes accuſatores oſtendam; ſi qui ab Annio per ſummam fraudem, atque impudentiam ea confiɛta aſſerunt, ij ab aliis Annii delatoribus oppugnentur: quanquam ſint etiam nonnulli, qui verſutiores rota figulari, ut Rainaudus, & Ortelius, modo accuſent illum, modo innocentem fateantur; modo illius libros laudent, modo diris devoveant. Ex accuſatorum igitur delationibus, quid ſentiendum ſit non liquet, multoque verior, ac conſtantior eſt eorum aſſertio, qui nihil ab ipſo confictum eſſe arbitrantur. Quod ut melius ab omnibus intelliga-

ligatur, adverſarios oro, atque obſecro, quos ab Auguſtini narratiuncula deceptos ſcio, ut rem totam ad trutinam iterum revocent, conſiderentque depoſitis omnibus præjudiciis illum non modo a quibus, & ubi ea fragmenta acceperit litteris mandaſſe; ſed tres præterea teſtes adeſſe Leandrum Albertum Bononienſem, Aloyſium Seraphinum a Foro Caſſio, & Franciſcum Salictum Faventinum, qui una voce in ſuis libris affirmant a ſe, & ab aliis ea M. ss. antiquiſſima eſſe viſa. Poſſum etiam teſtem appellare Jacobum Villot, qui in Armenia diu Sacris Soc. Je. Miſſionibus præfuit, quique teſtatus eſt multa ſe ibi de Viterbi antiquitatibus ex vetuſtis monumentis legiſſe, quod mirum in modum ei conſonat, quod noſter Antiquarius ducentis annis ante ſcripſerat, nempe Beroſi excerpta a ſocio Provincialis Armeniæ ſe dono accepiſse. Verum quid multis opus eſt? Decretum Deſiderii ante natum Annium deſcriptum extat. Hæc omnia tam perſpicua, tam certa, tam conſtantia ſunt, ut vel ſola illum ab omni non modo culpa, verum etiam a ſuſpicione liberent. Quare intelligere ſatis non poſſum, quonam modo quidam ceteroquin homines religioſiſſimi nullis conſcientiæ terroribus pertententur, dum in ſuis ſcriptis, atque ſermonibns per ſummam injuriam, nullo firmo, immo ne probabili quidem argumento, ſolum ob inanem rumorem, atque ob leviſſimas conjecturas ab æquitate, a juſtitia, ab humanitate diſcedant, virumque moribus, doctrina, ac dignitate præſtantem, re nondum ſatis comperta, tot doctis viris, tot probationibus, immo divini, humanique juris legibus reclamantibus, falſarium, planum, tenebrionem omnium imperitiſſimum appellent. O ſanctas gentes, o homines veritatis vindices, & juſtitiæ cultores! At ſatis, ſuperque, inquiunt, probarunt Melchior Canus, Philippus Cluverius, Vincentius Borghinius, Magnus Heſantalerus, Gaſpar Varrerius, Gerardus Voſſius, Franciſcus Sparaverius, & Jo: Albertus Fabricius, qui ea fragmenta plurimis erroribus ſcatere demonſtrant. Quanquam, Judices, Thomas Mazza, Franciſcus Macedo, aliique multis ex ijs argumentis, quæ opponuntur, pro virili parte reſponderint; ego tamen, qui Annianorum fragmentorum auctoritate neque egeo, neque unquam uſus ſum (excipio Deſiderii Decretum), ſi multa falſa in ijs eſſe concedi poſtulant, non gravate concedam. Quid tum igitur? Ergo, inquiunt, ab Annio veteratore ſunt conficta. O

con-

conclusionem nostris accusatoribus indignam! Ex hoc neque sequitur esse supposita (quot enim ejusmodi in Herodoto v. g., ut notat Cicero, & Josephus, quot in aliis græcis, & latinis scriptoribus?) Videte quot parasangis absint a concludendo Annium fuisse commentum. Senserunt & alii quam ineptum sit hoc disserendi genus, quare post longas dissertationes contra nostras antiquitates, quum a Reinesio quædam afferrentur paullo ante inventa, & toti litterariæ Reip: ad id tempus ignota, quæ tamen in nostris monumentis legebantur; vel ab Annio, vel ab alio conficta esse dixerunt. At Fabricius ut labantem jam suam accusationem tibicine fulciret, *nihil impedimento esse*, respondit, *quo minus ex ijsdem auctoribus, ex quibus antiqua illa fragmenta esse Reinesius ostendere conatur, eadem Annius ingeniose confinxerit*. Quid ais Clarissime Fabrici? Nihil impedimento est? Ex Auctoribus? Non sentis te ab accusatione ad divinationem transire? Non vides quanto ego potiori jure ex tuis verbis colligere possim: si ex auctoribus, ergo non confinxit? Sed hæc levis armaturæ. Aliud restat prælium, alia monstra, ut ipse ais. Age dic mihi, quid argumenti affers, quamobrem ille, & non alius ea supposuerit, quando conficta esse vis, atque inter portenta recenses? *Quod Annius* (sunt verba Jo: Alb. Fabricii) *potius ipse, quam alius ante eum fraudis tantæ architectus a plerisque habeatur, mirum non est, cum aliunde constet de ingenio ejus composito ad literarias hujusmodi imposturas excogitandas, credulisque obtrudendas*. Me miserum! Jam montes moventur: jam Osiris, atque Isis non contra Gigantes, ut scribit Annius, sed cum ipsis terrigenis contra Viterbiensium portenta prorumpunt. At unde constat, Eruditissime Fabrici, tantæ fraudis fuisse Architectum? *Decantatissimum est*, inquit, *quod ex Latini fide retulit vir Clarissimus Antonius Augustinus*. Latini fidem profers? Parturiunt montes! Credebam proditurum Herculem aliquem contra monstra illa Anniana, at neque Achilles est, sed Patroclus, quem ajunt *falsis cecidisse sub armis*. Ast, inquiunt, ab alio saltem supposita sunt ante Annium. Audio. Hæc est alia pars divisionis accusatoriæ, quam posuerunt nonnulli, quæ quidem Annium absolvere, sed Viterbienses oblique accusare videtur. Verum lacesso singulos adversarios, in concionem voco: *Accusatio*, inquit Tullius pro Cœlio, *crimen desiderat, rem ut definiat, hominem ut notet, argumento probet, teste confirmet*. Ego hæc argumenta,

ta, atque hos teſtes, non modo ſine ullo timore, ſed etiam cum aliqua ſpe delectationis expecto. Quis enim ante noſtrum Antiquarium in ea temporum, ac litterarum barbarie ea comminiſci, quis decretum illud Deſiderii, quis characteres illos imitari potuiſſet? Sed hæc vetera. Tegulas Sepulcrales Volturrenæ figlinæ ſuper Ethnica cadavera nuper inventa, ſuperque pavimentum de Muſivo in Fano Volturnæ, quod exhibet Montfaucon in Supplemento de Templis, Viterbienſes ne machinati ſunt cum innumeris Statuis, & characteribus Etruſcis, aliiſque ſignis, quæ quotidie in toto noſtro agro reperiuntur, quorum pars æneis tabulis expreſſa a P. Feliciano Buſſio quam primum edentur, & explicabuntur? Hæc ignorarunt Annii Adverſarii, ſed ſuſpiciamus in Cœlum, & gratias maximas Superis agamus, nam ſi vidiſſent, non impoſtorem, non falſarium, non mendacem illum appellaſſent, ſed magici ſceleris, tartareæque coitionis Sac. Palatii Magiſtrum arceſſiſſent. Verum ad longinquiora veniamus, quo neque Annii, neque aliorum Viterbienſium fraudes aſpirare potuerunt. Sabinam opidum prope Ravennam ponit ejuſdem Urbis Anonymus. Hæc Urbs, ut ait Scholiaſtes Porcheron, *a ceteris omnibus ſiletur*. At non ſilent noſtra fragmenta: Cellarius profert litteratum lapidem ibidem inventum, ut Viterbienſes fabulas veras eſſe teſtetur. Genuam a Genio Iani habere nomen, *& Carin Janum* hebraice *Vineam Jani* ſignificare aſſerit noſter Antiquarius. Omnes heic ringuntur, præſertim quum Antiqui ſcriptores hoc ſileant, immo de Genuæ, ſeu ut quidam vocant, Ianuæ origine vehementer dubitent: At Ianus locus prope Genuenſis agri fines legitur apud eundem Ravennatem, & ſæculo elapſo in Carin-Jano, quæ pars ejus Urbis eſt, ſtatuam antiquiſſimam inventam eſſe cum gemina facie, ſceptrum cum clavibus tenentem certum eſt, atque adhuc viſitur in parte Eccleſiæ Majoris S. Laurentii, & licet ſaxea Annianæ voci reſpondet. In Catonis Epitome legimus: *Interiit Saga Opidum Etruſcorum*, illudque ad Padum collocatur. Sacis Opidum ibi extitiſſe ex Peutingeri tabula notat Cellarius, laudatque merito noſtrum Catonem. An Viterbienſes tabulam illam viderant, quam primus Velſerus in lucem protulit? Sic Cluverius perfracte negat ad Lacum Larium, qui a noſtris Ludius quoque dictus eſt, extitiſſe Volturrenam: à Telle Opido Vallem-Tellinam, non Volturrenam plerique dictam volunt. Scire vultis qua de cauſa? Quia nimium

fidei,

fidei, atque auctoritatis nostris monimentis accederet. At in iis locis Uulturinam, seu, ut M. ss. codices habent, Volturniam recenset non modo Paulus Diaconus, quem caussari possent a nostris fuisse lectum, sed uterque Iovius homines doctissimi, atque in ea regione nati ex antiquo nomine, & ruderibus adhuc extantibus. Togum, seu Tog-Orma in Celtiberis fuisse scribit Berosus Annianus: & Togum in Hispania fuisse cultum inscriptio vetustissima indicat, quam protulit Mariana, quamque refert Reinesius, laudatque merito nostra fragmenta, in quibus *genuina profundæ antiquitatis ab adsumentis Annianis secernenda esse* ait. Prætereo Tubal, qui ibidem regnavit secundum Berosum, & Tarraconem, quam Tyrrhenicam appellat Ausonius, hebraici nominis dicit Bochartus, atque ab Enacim conditam Ben-Iamin Tudelensis, quem primus ex hebræo vertit Arias Montanus. Quid dicam de Forano, seu Foro Annii, ut noster Antiquarius explicavit? Quis non juret hoc ab eo confictum ad suum nomen illustrandum? At lapides Viæ Anniæ postea detecti apud Panvinium accusatorum ora comprimunt, & contundunt. Quid dicam de Coloniis in Gallias a nostris missis? Hinc videant quantæ Antiquitatis sit noster Berosus: ostendi enim ibi fuisse Viterbi nomen, Urbem Aturam, Montem Cemenum, Caput Voltumnæ, Agrum Tursanum, & Lartem Aremoricum, quæ omnia Annio, ceterisque latuerunt. Iam videtis, Iudices, me data opera nullum verbum facere de ijs, quæ cum priscis, notisque scriptoribus conveniunt: nam ea potuisse nostros ab ijs mutuari dici posset: illa tantum attingo, quæ verissima sunt, sed ad Annii ætatem cunctis erant ignota. Quis unquam cogitavit Etruscos ab antiquo, primaque ab origine dialecto hebraica locutos? Et tamen innumeræ voces primævæ linguæ, quas enumeravi in libro præsertim italico, easdem & sono, & significatione cum Tuscis esse demonstravi, & complura vocabula Sabinorum veterum, quæ cum Ætyopicis conveniunt, quod & alii adnotarunt, hæc verissima esse confirmant. Ex quo quam verax sit noster Antiquarius cognoscitur: quum primus enim linguam Etruscam ex Hebraeis, & Chaldæis derivet, suffragatores postea habuit Scaligerum, Vossium, Merulam, Tomassinum, ipsumque Antonium Augustinum, & cum aliis etiam Samuelem Bochartum, qui quamvis multum a cognata Phœnicum dialecto suæ inserviens caussæ habere velit; tamen Saturnum esse Noe non semel

 fate.

fatetur, eumque linguam hebræam retinuisse, & Cethim, Latium, Saturniam ab eadem fluere, atque idem significare pronuntiat. Multa addere possem de Iano, seu primo Saturno falsorum Deorum antiquissimo, & Cui *par nullum Græcia numen habet*, quique a nostris, & ab Ægyptiis cultus est; multa de Oenotro, & de Arcadia Babylonica; multa de Enyalio Sabinorum, Spartiatarum, & Chaldæorum Deo; de Cure, Cam-Ese, & Semo, aliisque, quæ vel levissime attigit Annius, vel prorsus ignoravit cum suo Beroso. Epigramma SEMO DEO SANCO in Sabinis apud Gruterum, nemo melius quam ipse explicasset, si vidisset: ut nemo verius exposuit illud Silii *a Bactris nomina ducens Casperula*, quod probat Holstenius, quanvis Cluverius irrideat. Quam latus sese aperiret dicendi campus, si amplificare liberet Vossium illum acerrimum nostrum adversarium, cum aliis bene multis tandem manus victas Annio dedisse, dum licet invitus coactus est fateri compluries Ianum vere esse Noe, atque ipsius etymo hebraico etiam subscribere? Hoc tamen unum præterire non possum: Atus, qui colonias in Turrheniam misit secundum Herodotum, aliosque complures, nonne Assur est Ludi frater juxta variam linguarum dialectum, sicut *Verse* lingua Etrusca, *Vesta* a Latinis, *Esta* a Caldæis dicebatur? Nonne Ludi, seu Lydi dicuntur Etrusci teste D. Hieronymo, quæ vox penitus hebraica est, & ideo Mæones ab Homero, aliisque illam interpretantibus appellantur, ut notat Bochartus? Hæc expendere debebant adversarii, antequam carperent nostras Antiquitates, non sententiam ferre indicta caussa, non damnare Viterbienses sutorio atramento. Verum quorsum ego contra hos homines præposteros clamem? Quorum aliqui eo temeritatis prorumpunt, ut dum Annium criminosissime insectantur, & condemnant, nunquam illius libros se legisse gloriati sint, idque in editis voluminibus cum jactantia, atque ostentatione tanquam subacti ingenii, emunctæ naris, atque artis criticæ eximium argumentum testificari non erubuerint: alii monumentorum nostrorum præsertim musivi Operis evidentia convicti, quum nihil quod opponerent, possent reperire, tamen se nolle nostris Antiquitatibus assentiri, hoc solo prætextu, quod Annius fabulator sit, pervicacissime responderunt. Sed hæc Capita Anticyris digna relinquamus: restat enim, ut secundæ accusatorum classi respondeam, qui non adeo hebetes, atque humi strati, sed rei veritate,

ac

ac perſpicuitate erecti viderunt non potuiſſe ea fragmenta Viterbienſes comminiſci: viderunt quotidie nova velut agmina probationum ex terra, & ſaxis prodeuntia, quare multo remiſſius, quam verius loqui didicerunt: Annium ſcilicet vera excerpta habuiſſe, ſed quædam proprio marte inſeruiſſe, atque adjeciſſe de ſuo. Heic Iudices, maxime auctoritate veſtra mihi opus eſſe video: ex latiſſimo accuſationum campo in arctum hunc locum tandem concluſi Accuſatores jam neque dilabi poſſunt, neque tergiverſari. Vel ſingillatim quæ ab Annio ſunt adiecta demonſtrent, vel illum omnino innocentem fateantur. Hanc æquiſſimam conditionem repudiare minime poſſunt: intereſt magni literariæ Reip. vera a falſis ſecerni. Indicent igitur quid adiecerit. Ea immiſcuit, reſpondet Dempſterus cum ſuis ſcholiaſtis, aliique, *quæ ad Patriæ decus promovendum* facere poſſe putabat. Etruriam Metropolim, ubi Viterbum eſt, excogitavit, additque Tuſciam, ac Turrheniam dictam, quam irrident omnes cum Vincentio Borghinio, atque Anonymo Mediolanenſi, quam nec Cluverius, nec Dempſterus, nec Cellarius noverunt. Non repetam nunc, Iudices τυῤῥηνίαν πόλιν Etruriam Civitatem ex Stephano, qui ex profeſſo de Urbibus ſcripſit: non referam Plinii atque Hellanici teſtimonium ex Dionyſio, quem Latini interpretes non ſatis intellexerunt: ſolum ab adverſariis quæro, an Tuſcia Urbs extiterit? Negant? Lapis antiquus paucis ab hinc annis Viterbi repertus ſic habet: L. VALERIO L. F. PAL. TVLLO TVSCIANO &c. Non ignorant, opinor, Patriam poſt tribum, & cognomen in Inſcriptionibus poni, quod diſerte tradunt Fabrettus, & Urſatus Lapidariæ artis peritiſſimi. Addere poſſum *Vitalianum Epiſcopum Eccleſiæ Tuſcæ* cum Cluſino, Sutrino, aliiſque Epiſcopis noſtræ Provinciæ ex M.ss. Vaticanis, aliiſque editis VI. Synodi ſub Agathone, & Vittonem *Tuſcianorum Comitem* ex Fuldenſium Annalibus. At hinc, reſpondent Tuſciæ nomen, non Etruriæ elicitur. Egregie. Verum indicent, quis Geographorum veterum Tuſciam Civitatem nominaverit? Hærent, Iudices, neque ſe unquam expedient. Eant jam ad Ortelium, Cluverium, Dempſterum, Cellarium, & Carolum a S. Paulo, moneantque familiariter, ut in ſuis libris hoc quoque nomen recenſere non dedignentur, quæ Turſenia a Græcis, ſeu Tuſcania dicta eſt, a noſtris quoque Etruria. At Etruriæ Civitatis nomen apud Antiquos

non

non legitur. Iam de more ad vocum aucupia confugiunt. Ego sexcenta protuli testimonia ex Plinio, Livio, Tullio, Varrone, & Marciano Poeta, præsertim ex lapidibus Capitolinis, qui triumphum referunt ex ETRUSCEIS, & anno insequenti ex Uvlsiniensibus, & Uvlcientibus post Annium repertis. Nunc repetam solum ex Floro probationum potentissimam, ut ait Quintilianus γραμμικὴν ἀπόδειξιν Is cum Livio Q. Fabium Max. ex Sutrino agro Ciminum subire meditantem describens: *Erat terror ingens*, ait, *a latere ETRURJA infesta ... in medio Ciminius saltus*. Locus hic adversarios, præsertim larvatum Insubrem getico stilo exultantem, adeo compressit, ut neque novarum editionum præsidio, neque ope recentium commentariorum, neque ulla ingenii, artisque industria effugere potuerint. Ostendi enim sic in omnibus M. ss. codicibus legi: ostendi Ciminum situm inter Agrum Sutrinum, & nostram Urbem, ostendi illud *in medio* sine gemino latere intelligi non posse. Vt verum fatear poterant adversarii ab his se nullo negotio expedire: poterant de more vociferari ab illo impostore nequissimo vitiatas fuisse tabulas Capitolinas, & Stephanum, & Florum fuisse corruptos cum actis Concilii Constantinopolitani, & Fuldensium Annalibus. Eja agite ad notas artes, ad ingenium redite: Clamate voce maxima hæc Viterbienses supposuisse, atque in bicipiti somniasse Parnasso: addite illa vestræ eloquentiæ flumina, illa vestri ingenii lumina, convicia, & maledicta. Interea dum vos ad ravim vociferamini ego בית תרבון *Bet-Terbon* nomen Etruscum antiquissimum unius ex quatuor Opidis, & multo ante Desiderium Regem usurpatum, ut vere Ill: Fontaninus, atque Eruditis. Valesius, quos honoris caussa nomino, ex Anonymo Ravennate, nostrisque historiis mihi objecerunt (quod tamen ille Rex Viterbum dici jussit) ex hebraica lingua Turrheni Torebi, seu *Terbi Domum*, idest Turrheniam significare ostendo, quod Annio nostro fuit incognitum. Ego Aturiam, seu Etruriam ab Atur Ludi, seu Lydi fratre, & Torebi Parente, a quo etiam Lydi dicti fuimus, apertissimo Sacrorum Bibliorum testimonio, & D. Hieronymi adnotatione deduco, eandemque cum Turrhenia, Tuscia, & Tursania radicem habere demonstro. Ego Cethim apud Isaiam, Ezechielem, & Numerorum Auctorem, quo Colonias Assur, seu Atur misit, Italiam esse ex vulgata Versione, & ex Onkelos. aliisque Hebræorum interpretationibus, quas neces-

necessariis argumentis defendit Bochartus, atque ex etymologia ex eodem paullo ante allata confirmo. Vnde argutatio Genevensium contra meum librum de Etruria Metropoli, quam imbecilla sit facillime convincitur, qui Cethim ad Græciæ regiones tantum accommodant: quasi vero hoc ipse Annius, & Bochartus non præverterint, aut valde operosum sit intelligere, licet Cethim de Cypro, aut Macedonia dicatur, sæpe duas, aut plures terras eodem nomine fuisse appellatas. Hesperia nonne Italia, atque Hispania dictæ sunt? Nonne Itala tellus, ut ait Ovidius, Græciæ nomen habuit? Nonne Siculi prope Romam, ad Montem Ætnam, & in Peloponneso fuerunt? Quod aliis exemplis confirmare possem, nisi doctis notissima res esset. At quatuor opida simul commentus est Annius. O factum male! Verum scimus Mantuam Tusco de sanguine populos habuisse quaternos, aliasque Tetrapoles similiter, ut de Syracusis notat Cicero: Quid quod Dionysius Hal: Oenotrum, quem ego Janum esse ostendi ex Arcadia (Babylonica, non Græca) profectum Vrbes parvas, & contiguas condidisse apud nos testis est? Hac de re habemus Viterbiense Statutum, ut vocant, vetusta Instrumenta, & Godefridi Carmina M.ss. multo ante Annium. Epigramma inventum est centum annis post illius mortem QUATERNO POPULO ETRUSCO, quod Cluverius descriptum se accepisse testatur a Cardinali nostro Gubellutio. Clament jam adversarii inflatis buccis a nostris fuisse confictum. Sed quorsum hæc, si jam Annii ætate simillimum habebamus? Vtrumque suppositum est, inquiunt: Vbi, a quo, quando? Aut singula hæc evincite, aut vos, qui nos falsi accusatis, vos calumniæ, atque imposturæ crimine convinco. Pes medius litteræ E, respondet Reinesius, impar est aliis duobus. Hæccine Remniæ legis obliti nobis opponunt? Quam invideo Heraclito, qui nunquam ridebat! Sed his omissis alia expendamus. Fanum Volturnæ apud nos jam omnes fatentur: Cæcinam fuisse Volturrenum, non Volaterranum ex ipsa Ciceronis oratione, & reditionem Cornelii Scipionis ex Faliscis ad Volturnam, non ad Volaterras, ex Livii narratione apertissime demonstravi. Sed Volturrenæ figlinæ Anniæ Gentis, quas ex tegula Sepulcrali supra commemoravi, omne suffugium morosis eripiunt. Vetuloniam, cujus nomen in parte nostræ Vrbis adhuc extat, quod observavit etiam Hermolaus Barbarus, & Epitaphium Marci Cardinalis apud Ciacconium

ante

ante natum Annium confectum, sed ab ipso non relatum, apud nos fuisse, & esse argumento sunt. Vt sileam de Arretinis, & Tiburtinis, quibus antiquissimum fœdus cum Vetuloniensibus intercedit, qui publicis legationibus ad nos, & monumentis vetustissimis idem confirmarunt; dicam solum Cluverium, ubi animal Arcadicum appellat Annium, nimiam non reciprocandi nobis, sed ridendi facultatem dedisse; Vetuloniam enim, & Vetulonienses aquas calidas contra Plinium, Ptolemæum, & Silium in maritimis quodammodo per potestatem ponit, & corruptas omnes tabulas præsertim Peutingerianam censorio supercilio pronunciat: at Geographus Ravennas pariter non Vetulonienses, sed Populonienses thermas illas appellat, quare Porcheronius imperare animo suo nequivit, quin contra Cluverium scriberet: *Tabulæ Peutingerianæ sinceritas hoc loco asseritur*: addere poterat, & Annii fides ab improbissimo convicio vindicatur. Nihil de Longula dicam, quam ex Livio Viterbi esse concedit Volaterranus, Ferrarius, Jannottus a Tuscanello, atque Anonymus Mediolanensis, quamque Surrenam, novam idest Turrhenam appellatam scimus ex inscriptione L. Valerii, quam Annius non vidit, & tamen Surrenam dictam fuisse notat. Nihil dicam de Arbea, aut de Lucero ipsius Rege, nam nimius sim, si singula persequar. Quid igitur finxit Annius, aut alius ex Viterbiensibus, si non modo eadem, sed multo etiam plura ex indubitatis monumentis, quibus ipse caruit, asserta videmus? Is certe de Arbeæ, seu Arbani voce notat solum dictam sicut *Cariath-Arbe* idest *Civitas quatuor*: Barbare quidem, & parce. Quid si observasset בית הרבה *Beth-Arbe Domum Magnam* significare? Quid si apud Virgilium amnem Tuscum considerasset cum Ænea, quem ad petenda auxilia ab Etruscis mittebat, loquentem: *Heic mihi MAGNA DOMUS*, quam Metropolim fuisse canit? Quid si Servium interpretantem legisset: *Magnam Domum Caput Urbibus de Tuscia intelligi*? Verum is, quia Anonymum Ravennatem non viderat *Bet-Terbi* Etruscum nomen, & multo verius etymon plane ignoravit. Ille de Episcopi Cathedra nihil attigit, quam ego multo ante annum millessimum ex Summorum Pontificum litteris, ex Leone Sapiente, ex Sacrorum Conciliorum subscriptionibus antiquissimam, & multo ante Celestinum III. cum Ferentina, Blerana, Foroclodiensi, Graviscana, Tarquiniensi, & Centumcellensi conjunctam patefeci. Ille nihil de Comiti-

mitibus, aut Comitatu ſub Langobardis ſcripſit, quem ego ex Leonis IV. Epiſtola, aliiſque monumentis præſertim Archivi Farfenſis, a Polimartio, atque Horta ad agrum Sutrinum, Minionem amnem, Montem Gosbertum, & Portum Maris, qui Corneti nunc dicitur, poſt Tarquinienſis Urbis interitum pertinuiſſe oſtendi; & ex alia parte uſque ad lacum Martis, & Territorium Urbevetanum, ſeu melius Orbitenſe, (ut videmus in vita Leonis III., & in Concilio Ro: ſub Benedicto IX., quamvis illudat Anonymus Mediolanenſis) quæ mirum in modum Deſiderii Decretum confirmant. Ille Tuſcanellum fuiſſe noſtram Coloniam nec per tranſennam vidit (licet Deſiderius a Viterbienſibus reſtaurari jubeat), quod ego ex Uſuardo probavi, ex uſu eorum temporum, & ex noſtri Comitatus finibus poſt Tarquinias occupatas, & deletas. Ille nihil diſſeruit de antiquo regimine, in quam rem ego Prætores in medium attuli ex vetuſtis inſcriptionibus, ex Scribonio Largo, & Marcello Empyrico, atque ex hiſtoria SS. Martyrum Valentini, atque Hilarii, Demetrii, atque Eudoxiæ, quæ in Bibliotheca Vallicellana vetere charactere deſcripta aſſervatur. Ille nihil de Civitate Romana, qua donata noſtra Etruria fuit poſt egregium illud facinus adoleſcentis Spurinnæ, cujus gentilis Q. Quintianus Vetulonienſis dicitur in Inſcriptione apud Gruterum, in quo diligentiam Lipſienſium Cenſorum requiro, qui me non intellexiſſe Val. Maximum credunt, quum ij neque Valerium, neque mea ſcripta perceperint. Quare ſi quæ ad Patriæ antiquitatem, & laudem pertinent tot monumentorum adminiculo, quorum Annius expers fuit, majora multo, ac certiora non ad opinionem, ſed ad veritatem probavimus, quis dubitet de illius fide, aut litem intendat de Sempronio, Archilocho, Philone, & reliquis, qui de Urbe noſtra, & de rebus noſtris Etruſcis aut parum, aut nihil diſſeruerunt? Adeo ne ſtultus, aut ineptus cenſendus eſt, ut cum tot teſtimoniis veriſſimis abundaremus, fictis a ſe auctoribus fidem ſuam vellet committere præſertim in rebus maxime alienis, & minime neceſſariis? At multa ſunt in ijs excerptis, quæ vix, aut nullo modo defendi poſſunt: ſunt multa abſurda, ſunt non pauca diſſona aliis eorundem Auctorum fragmentis, quæ alibi reperiuntur. Quis hæc neget, quis in controverſiam vocet, ſi ipſe Annius ſæpe repetit, & profitetur? Aborigines in ijs Umbrorum proles dicuntur: hoc falſum eſſe clamat ſcriptor noſtræ ætatis eruditiſſimus, &

Annium ſuppoſitionis, ac mendacii inſimulat, quia apud Dionyſium locus genuini Catonis refertur, ubi Aborigines Gentem Græcam fuiſſe commemorat. Verum hoc labore, ac criminatione ſuperſedere poterat homo doctiſſimus; nam Annius in eo ipſo loco in commentariis ad marginem hoc vidit, hoc notat, hanc ſibi difficultatem ſolvendam proponit. Uſque adeo verum eſt ſummos viros contra ipſum obſtrepere frequenter, ſed nunquam legiſſe. At hoc ipſo deterreri debebat ab ijs edendis: quaſi vero paria in aliis ſcriptoribus non reperiantur. In Antonino, quem edidit Surita, omneſque ut veriſſimum amplectuntur, nonne legitur, ut notat ipſe Annius, Conſtantinopolis, Maximianopolis, Conſtantia, & alia, quæ certe cum titulo, & ætate Antonini Auguſti conciliari minime poſſunt? Omitto alios Latinos ſcriptores, & *quidquid Græcia mendax audet in hiſtoria*. Beroſus, & Manetho nonne ab antiquo in vulgus ſparſi ſunt, nonne a ſcriptoribus ſæpe laudati? Cur idem non faceret Annius? Quia in his ſunt multa falſa, reſpondent Canus, Varrerius, & Voſſius, enumerantque ſingula ſcrupoloſius. Optime vero: ſed hujuſmodi erant Beroſi, & Manethonis antiqua volumina: multa in ijs erant contra veram hiſtoriam, & ſacras litteras, ut in meis libris attigi, & notat etiam Cedrenus: immo erant πλήρη ψευδοῦς, καὶ πεπλασμένα mendaciis plena, & ſuppoſita, ut contendit Georgius Syncellus: Ergo bene eſt, ſi ejuſmodi ſunt hæc Anniana fragmenta. Non mirabitur jam Fabricius fuiſſe, qui Annium defenderent: obſtupebunt potius poſteri extitiſſe, qui tam inepte accuſarent. Jure igitur Barthius: *nec nos negamus*, ajebat, *interpolatos omnes illos Annii auctores, ruptos, fractos, minime bona fide, aut intelligentia translatos; tamen antiquitus ex legitimis, veriſque auctoribus excerptos talia argumenta ſunt, ut quæ contra afferuntur omnia evaneſcant*. Ipſe præterea fidenter affirmo tum multa in iis reprehendi præter æquum, & juſtum, tum nonnulla quæ reprehenduntur, ea Annii innocentiam maxime oſtendere, ac tueri. Exemplum unum, aut alterum proferam illuſtre, & maxime celebre. Em: Noriſius explodit Catonis excerpta, quia ibi Piſæ conditæ ab Alpheis Pelaſgis dicuntur. Verus Cato, inquit, apud Servium, negat ſibi compertum, qui Piſas tenuerint. Cato id incompertum ait ante adventum Etruſcorum in ea loca; ceterum ibidem bis a Pelopis terra Piſanos expreſſe derivat, & bis iterum addit Teutanes græcos eam

regio-

regionem possedisse: deinde etiam Pisas fuisse Teutas appellatas. An oppidum Peloponnesi Teuthis nomine, ubi est Amnis Alpheus, ignoravit Norisius, quamvis referat verba Catonis; Annius scivit, qui Catonem apud Servium Danielis nunquam aspexit? Textus illustrior afferri non poterat, qui tam bene evinceret Annii fragmenta meras esse epitomas veterum Scriptorum a non maleferiato homine decerptas. Aquas Taurinas Vrbem Mediterraneam secundum Plinium cum Taurianis Thermis in litore confundit Cluverius, Cellarius, Baronius, aliique: Ast Annius eam Vrbem Apenentem, seu Apentinam appellatam (Apis enim Taurum significat), & non longe ab Agro Sentinate nostræ Provinciæ sitam fuisse scribit. Vt cetera omittam, & Livius consonat libro X., ut in Etruria Metropoli ostendi, & Martyrologium M. s. nostræ Basilicæ Vatic., quod referunt Bollandistæ prid. Id. Majas, qua die in Apennino (codex habet in Apentino) S. Bonifacii, qui Ferenti nostri Episcopus fuit, mortem memorat, & S. Flavianus ad Aquas Taurinas XI. Kal. Jan. via Clodia, quæ sæpe pro Cassia sumitur, prope Viterbum ad Montem Blasconem sepultus est, atque in antiquissimo Templo adhuc colitur. Quid dicam de Inscriptione, quæ nunc Tuscanelli asservatur: HIC REQ. CORPVS SCE XPINE VGIN FILIA VRBANI DE CIVITATE TIRI, quam bene antiqua martyrologia, acta S.Martyris præsertim Fuldensia a Bollandistis relata,& Desiderij Decretum confirmat? Turas, seu Tyrus idem est, ac Mars,seu Marta,ut Etrusci pronunciabant, & lacus Vulsiniensis Martæ a Tyri Vrbe, seu Tyria,ut habent quædam M.ss., etiam num appellatur. An Tuscanellenses ab Annio decepti sunt? Sed ad celeberrimam controversiam veniamus inter primos nostræ ætatis Antiquarios. Vejos ad Insulam Farnesianam fuisse cum Fabretto, atque utroque Nardino nunc doctissimi Viri pro certo habent. *Ego id pro verissimo affirmo: omnino compertum habeo: nihil hoc certius est*, ait Holstenius, cujus verbis subscribit Lector Ticinensis. Incredibile est quam heic quidam se magnifice efferant: antiquæ enim tabulæ circa X. lapidem luce clarius eam Vrbem describunt. Multæ præterea inscriptiones Vejentium ad Insulam repertæ sunt, & concors est Plinius, qui ad tredecim millia passuum Vejentem Agrum Vrbis incepisse confirmat. Conclusum est igitur, ajunt, contra Anniana fragmenta, quæ ad Martenianum, seu Lartenianum bis fere tanto longinquius Ve-

jos ſtatuunt. Ego vero, Judices, argumentis addicam neceſsariis ne hilum quidem contra nos tot ſummos viros concluſiſse. Jam totam concionem attonitam, atque expectatione ſuſpenſam video. Quot motus animorum, quot certamina excitantur! Quid ais Cenſor ab Ancyra, quid tui Sodales, qui toties in hortis ad Tiberim declamantes Annium nugatorem, atque impoſtorem vocatis? Vos nugas agitis, vos lectoribus imponitis. Antiquos Vejos cum novis confunditis; vetuſtiſſimam illam Vrbem a Camillo exciſam cum recenti colonia, ſeu municipio miſcetis; priora tempora, loca, & geſta cum poſterioribus inepte conjungitis. Poſtquam enim Vejentes dimidia parte agri multati fuerunt, nova Vrbs condita eſt, ſed non eodem loci, quod factitatum fuiſse ſæpius de Coloniis differens obſervavit Panvinius. Quis enim ignorat *Vejos veteres*, ut appellat Propertius, ſolo æquatos fuiſſe? Vejorum *occaſum* ſub Camillo commemorat Livius: Vrbis *excidium* L. Florus: *διαπορθουμένην πόλιν* Plutarchus, abiectæ Vrbis *ruinas* Val. Maximus. Veij igitur, de quibus loquuntur itinerum chartæ circa X. lapidem, & vetus illud Epigramma C. Julij Gelotis Auguſti liberti apud Fabrettum, & deſcriptio Coloniæ ejuſdem a Frontino relata, cui conſonat Plinius Vejentem Agrum Vrbis deſcribens, alia res eſt, & diverſa a Vejentibus, qui intra XX. lapidem a Livio, & ad XVIII. ab Eutropio dicuntur, quibuſcum facere videtur etiam Dionyſius, quem non a Milliario aureo per lapides, ſed a portis per ſtadia græcorum more dimenſum opinor. Hæretis? Habeo argumentum firmiſſimum, ut alia prætereum, & prope Achilleum. Propertius, Lucanus, & Florus, qui Auguſteis temporibus ſcripſerunt, Vejos pulvere tectos, ruinis obrutos, & a paſtoribus, atque ab armentis occupatos vix annalium fidei extitiſſe credebant: & tamen tunc Vejens municipium, ſeu Colonia habitabatur, edebat ſpectacula, & Auguſtales, Centumviroſque habebat. Ergo diverſa eſt: de illa, non de hac Cato Annianus loquebatur. Similia de gemina, immo trigemina Faliſcorum Vrbe afferre poſſem contra Cluverium, alioſque, de Cruſtumenis, atque Alſietinis, Graviſcis, Arnienſibus, & Salpinatibus, quorum noſtri accuſatores quamvis eruditiſſimi in ſumma ignoratione verſantur, & tamen contra noſtras antiquitates decretorio ſtilo, atque ex tripode pronunciant. Verum ſicut fragmentorum præſidio, quæ noſter Antiquarius in lucem edidit, non

in-

indigeo, quum probatissimis, indubitatisque monumentis abundem; ita tantum solum oneris mihi sumo, quantum satis est, ut defendam vetustiora, verioraque esse, quam ut a Viterbiensibus supponi potuerint. Quare videtis, Judices, omnia accusationum plena, sed probationum inania. Antonius Augustinus, qui de legibus scribit, incidit in S.C. Turpilianum; reliqui accusatores nihil certi proferunt contra hunc reum, immo potius multa, quæ ipsi maxime favent. Re vera quis illius innocentiam, atque eruditionem non admiretur? Dixit Sedem Urbis Agyllinæ per periphrasim apud Virgilium nostram Urbem significari, ut Itacesiam sedem vocat Bajas Silius Italicus, quis confutavit? An unda sub Canem non adeunda quæ sit satis intellexerunt Lipsienses Critici in Tibullo, unde Tuscas nostras thermas Cajas, non Bajas apud Strabonem etiam legendum contendimus? Num Dempsterus, Borghinius, aut Cluverius ulla in re eum jure reprehenderunt? Prætereo multa, ad quæ omni ope asserenda non me mea voluntas, neque in Annium studium, sed nostrarum Antiquitatum exploratæ rationes, atque argumenta in oculos undique incurrentia impulerunt. Testis sit celeberrimus lacus Vadimonis, qui adhuc integer fere apud nos extat, & Navisi dicitur, respondetque ad amussim omnibus partibus Plinii Junioris descriptionis. Etiam nunc natant Insulæ, ut ego ipse magno cum periculo expertus sum, & non procul inde jacet Amæria nostri agri opidum dirutum, nunc *Amerelle*, in tam ampla planicie, ut ad bella natura facta esse videatur. Scio alios illum ponere ad Montem Rosulum; alios ad Mevaniam in Umbria; alios ad Bassanum in locis angustis, præruptis, atque impeditissimis, quod notat etiam Julius Roscius Hortanus; alios demum ad Hortam prope Tiberim, ubi eædem fere angustiæ. Verum vel ex hoc intelligi potest, quanto Annii somnia præstent Cluverii, aliorumque elucubrationibus, ut alias ostendi: nam quod Peutingeriana Tabula, quam opponunt, Amerinum prope Falerios locet, nihil est, quia post Theodosium descripta, pro ijs, non pro superioribus Ro. Reip. temporibus usui esse potest, & quando Amerinum antiquissimum esse concedamus; inveniant ibi adversarii, si possunt, natantes insulas, & quod caput est, inveniant locum, ubi quatuor exercitus simul in aciem educi potuerint, ut legimus apud Livium. Jam vero adesdum, Lector Ticinensis: tecum mihi nunc res est, qui Cellarium, aliaque magna nomina

sonas,

ſonas, ac crepas, quaſi in hiſce certaminibus multitudine, ac clamore vincatur, quum certa rerum notitia, locorum inſpectione, atque argumentis inde petitis pugnandum ſit: a quo tantum abes, ut Thermas Cajas, & Bullicamen, Lacum Ciminium, & Vadimonem, quæ inter ſe plurimum diſtant, ridendum in modum miſceas, atque confundas. Audi igitur. Livius ſcribit Sutrino agro relicto Q. Fabium ETRURIÆ arva ex Cimino contemplatum milites emiſiſſe; deinde ad noſtram Longulam, ut ipſe fateris, perveniſſe, atque interea res in Etruria fuiſſe geſtas ad lacum Vadimonis. Similiter Florus ex ſuperioribus Cimini jugis Fabium eundem in SVBJECTOS Etruſcos, quaſi in Terrigenas de Cœlo tela miſiſſe teſtatur. Vides uterque hiſtoricus quam bene mecum faciat? Vides quam ſemper tibi a LATERE ſit ETRVRIA infeſta, quam Ciminius hic ſaltus in MEDIO ſit terribilis? Vbi nunc Baſſanum, & loca Faleriæ prope Tiberim? Vbi deſcriptio Vincentii Regienſis, qui & Albertum cum reliquis, & ſeipſum decepit? De noſtra ETRVRIA heic agitur, & de Vadimone Etruriæ Deo; non de Faliſcis, qui a noſtris erant diverſi, & tunc præterea erant in amicitia Romanorum: de profectione trans ſilvam Ciminiam, quam ſepties repetit Livius, ut omittam Frontinum, & Dionem; non de locis quæ citra ſunt ad Baſſanum, aut Hortam: de arvis Cimino SVBIECTIS prope Longulam, quæ ex montis vertice contemplatus fuit Romanus Dux, non de Tiberinis, quæ multis millibus paſſuum, & magnis montibus interiectis inde neque videri, neque adiri potuiſſent, niſi ſi retrogrados Etruſcos noſtros, & Romanos per horrendam illam ſilvam tibi fingas, atque opineris noſtros a Tiberinis illis accolis ea loca incommoda, atque impervia pretio conduxiſſe; ut in ſolo alieno, atque hoſtili JVRATOS AD SACRA ETRVSCA EQVITES initiarent, & lege ſacrata exercitus cogerent, & toties, ut apud Livium, Polybium, & Florum legimus, cum hoſtibus dimicarent. Videtis igitur, Judices, quam ſolida ſint, quæ in noſtris Antiquitatibus leguntur. Quid facerem igitur? An his, aliiſque monumentis, quæ brevitatis gratia ſileo, non cederem? An Annii innocentiæ non opitularer? An veritatis patrocinium desererem? Præſertim quum ea, quæ contra afferuntur ſummam regionum noſtrarum ignorantiam, antiquorum fœderum inſcitiam, & in lingua latina infantiam præſeferant. Parcite, Judices, ſi quid mihi

videor


videor tribuere arrogantius. De his omnibus ex profeſſo egi non ex tenui informatione de libris hauſta, aut de auditu; ſed in ijs locis natus ea ſæpe adii, dimenſus, & contemplatus ſum diligentiſſime, ſingula cum veterum ſcriptorum teſtimoniis, ac peritiſſimis hominibus contuli, quæ profecto nec Albertus, nec Cluverius, nec Holſtenius (abſit verbo invidia) præſtare potuerunt, qui biduo, ad ſummum triduo apud nos morati ſunt. Quid de aliis dicam, qui nunquam ad noſtra loca acceſſerunt? Sunt viri docti fateor, ſed ἄπειροι οἱ ἀπέχοντες ajebat contra Sophiſtas Ariſtoteles, quod multis experimentis comprobat ipſe Holſtenius in Cluverium. Provoco igitur iterum unumquemque accuſatorum, ut ad ea reſpondeat, ſi vir eſt; tot tantorumque maledictorum, quæ in Annium, & Viterbienſes conjecit, præſtet fidem, ſi poteſt. Quod ſi noſtrorum monumentorum veritas, atque antiquitas major eſt, quam ut a nobis fingi potuerit; ſi aliunde noſtræ Patriæ decus vetuſtiſſimum aſſertum habemus; ſi Deſiderii Decretum multo ante Annium deſcriptum reperitur, & majora in dies ex Muſivo, Volturrenis Annii Veri figlinis, innumeriſque monumentis Etruſcis, & Latinis argumenta ſuppeditantur, quæ ipſe non vidit, unde omnes adverſariorum conatus ita ad irritum cadunt, ut prodigium dici poſſet ſi ab Annio aliquid tam apte confictum fuiſſet; oro vos, Iudices, atque obteſtor, ut hominem hunc clariſſimum, cujus cum eruditionem Voſſius, aliique accuſatores commendant, tum fidem ipſa ſaxa quotidie, aliaqua erumpentia e tenebris oblivionis argumenta loquuntur, auctoritate veſtra innocentem pronuncietis. Compeſcite hanc nimiam ingeniorum libertatem, quæ quum in hac litteraria Rep. ſe primas tenere, atque omnia ſcire arbitrentur, judiciorum poteſtatem ſumma cum injuria veſtræ auctoritatis ſibi vindicant, quodque deterius eſt, indicta cauſſa, nulliſque expenſis rationum momentis pro libito, vel ex invidorum rumoribus doctiſſimos homines, atque innocentiſſimos ſæpiſſime condemnant. Hoc ſi feceritis, intelligent omnes in privatis ſcriptis, ac concionibus eſſe invidiæ, ac temeritati locum; in totius literariæ Reip. Senatu, ac Judicio ſolum Innocentiam, & Veritatem plurimum poſſe, & qui ſint impoſtores, & mendaces æqua lance diſcerni, ac dijudicari.

F I N I S.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sac. Pal. Apost.

N. Episc. Bojan. Vicesg.



IMPRIMATUR,

Fr. Jo: Benedictus Zuanelli Sac. Palatii Apost. Magist. Ord. Prædic.

ROMÆ, MDCCXXXII.

Typis Johannis Zempel prope Montem Jordanum.
SUPERIORUM PERMISSU.